DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA

DE

SVCCESSIONE ANOMALA

IN

FEVDIS præſertim IMPERII

QVAM

PRAESIDE

DN. GEBH. CHRISTIANO BASTINELLERO JCto

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI
ET ELECT. SAX. A CONSILIIS AVLAE ET JVSTITIAE
CVRIAE PROV. ELECT. ET CONSISTORII ECCLES. ASSESS
DIGESTI VET. PROF. PVBL. ITEMQVE SCABINATVS
ET ORDINIS JVRID. ASSESSORE

DOMINO ET PATRONO SVO AETERNVM COLENDO

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

AD D. XIII. MART. M DCC XXV.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
CAPESSENDI
PVBLICE VENTILANDAM PROPONET
AVTOR

M. JVSTVS GEORGIVS CHLADENIVS.

VITEMBERGAE, Literis VIDVAE GERDESIAE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

PRAEFAMEN.

De *Jure & indole pactorum, quæ de futura in Feudis ſucceſſione ineuntur, plenius copioſiusque diſſerere, &, quid circa ea tam ampliandum, quam reſtringendum ſit, remotis inde alienis ab ipſorum natura Juris Civilis dogmatibus, ex genuinis principiis demonſtrare, in animum quidem induxeram. Huic autem conſilio aliquantulum temporis inhærens, argumenti amplitudinem, rerumque dicendarum copiam, qua illud exuberat, non anguſtæ Diſſertationis pagellas, ſed integrum aliquod volumen poſtula-*

A 2 *re,*

Digitized by Google

re, obſervavi. Nec multum aberat, quo minus hanc inſtituti rationem deſererem, atque de alio quodam argumento, Inauguralis loco ſpeciminis defendendo, ſollicitus eſſem, niſi breve temporis ſpatium, huic negotio deſtinatum, aliud ſvaſiſſet. Ex quo factum eſt, ut neque aliam ſeligere materiam, neque hanc, uti rei nobilitas expoſcit, elaborare potuerim. Potiora itaque argumenti hujus capita tantum delibare & attingere, quam a propoſito prorſus recedere, malui. Ea vero, quæ jam vel obiter tacta, vel ſtudio prætermiſſa ſunt, peculiari de iis Commentationi reſervare, commodum viſum eſt.

DE

Digitized by Google

DE
SVCCESSIONE
ANOMALA
IN
FEVDIS
PRAESERTIM IMPERII

§. I.

Præter eam ſucceſſionem, quæ tam mediate, ex ultimis videlicet voluntatibus, quam immediate, ex ipſa legis diſpoſitione, defertur, Jure Civili Romano dari nullam, adeoque iſtum ſuccedendi modum, qui per pacta fit, eodem Jure ignorari, imo diſerte improbari, & generalis illius Juris edo et

 ratio,

Digitized by Google

o, quæ hujusmodi pacta adverſus bonos mo-
& Jus Gentium (a) declarat, & ſpeciales ra-
ıes, quæ communiter adduci ſolent, ſatis ſu-
que demonſtrant. Inter has ſunt, tum,
ɔd ejusmodi pacta votum captandæ mortis
ſapiant, tum, quod per illa facultas teſtandi,
æ omnino libera eſſe & manere (c) debeat,
latur, tum denique, quod fiant ſuper re, quæ
rerum natura non eſt, cum viventis nulla ſit
) hereditas.

(a) *l. 29. §. ult. D. de Donation. l. 4. C. de Inutil. Stipulat.*

(b) *L. ult. C. de Pactis.*
Illvstr. a Coccej. Diss. de Voto captandæ mortis.

(c) *l. 52. §. 9. D. pro Socio.*
l. ult. D. de ſuis & legitimis hered.
l. 15. C. de Pactis
l. 5. C. de Pactis conventis.

(d) Conf. Wesenb. Cons. XI. & LXXI. *pr.*

§. II.

Nec quidquam præſidii huic conventionali affert ſucceſſioni Novella Leonis XIX. qua

qua *legem* 15. *C. d. Pactis* abrogare videtur Imperator. Quam exiguam enim, vel potius nullam, in foro autoritatem iſtius generis Novellæ habeant, in vulgus notum eſt. Ipſarum æquitati, quatenus illa fundatæ ſunt, tribuimus aliquid, ſanctioni autem nihil. Licet etiam dicta Novella alicubi (e) recepta probetur, eadem tamen, cum de invalida & vana revocatione pacti nuptialis paterni, quo filio æqualis ſucceſſio cum aliis liberis promiſſa fuit, tantum diſponat, ad omnia alia pacta ſucceſſoria trahi nequit. Porro ipſum Jus Canonicum fruſtra vocatur in ſubſidium, quaſi exinde de pactorum ſucceſſoriorum firmitate ſatis conſtet, ſiquidem *capitulum* 2. *de Pactis in 6to*, in quo contrariæ addicti ſententiæ patroni nituntur, niſi de renunciativis, juramentoque firmatis, pactionibus non loquitur, & ab unius ſpeciei valore ad omnium ſpecierum valorem minus accurate concluditur. Sunt quidem, inter quos ſolum nominaſſe SCHILTERVM (f) ſuffecerit, qui autumant, mores Romanorum a delatione ſucceſſionis per conventionem penitus non abhorrere. *Quid enim*, ait ille, *donatio mortis cauſa omni-*

Digitized by Google

mnium bonorum aliud eſt, quam delatio ſucceſſionis per conventionem ſub conditione mortis? Sed non inepte regerit Fachinaevs (g), in præſenti de pactis iſtis nudis, quæ nec morte paciſcentium confirmantur, quæſtionem eſſe, non autem de negotio aliquo per ſe valido, & legibus comprobato, uti eſt donatio mortis cauſa, hoc loco agi.

(e) Secundum hanc Novellam Leonis XIX. pronuntiatum fuiſſe, refert Annaevs Robertvs *L. I. Rer. Judic. C. V.*

(f) *Exerc. ad D. VIII. §. 38. lit. a.*

(g) *Controverſ. Jur. Lib. V. C. 84.*

§. III.

Atque hæc, quæ de pactis, Jure Romano vetitis, modo allata ſunt, nonſolum ad bona allodialia, ſed etiam ad feudalia, pertinent. Militant enim utrinque eædem prohibitionis rationes, ergo idem quoque jus obtineat, neceſſe eſt. Videntur illæ quidem rationes idcirco

in

in Feudis commode admitti non poſſe, quod dominus de Feudo, per vaſallum poſſeſſo, alium ita inveſtire queat, ut hic Feudum, ſi id domino, vel ejus heredi, apertum (h) fuerit, conſequatur, ſicque ex providentia Juris Feudalis pactum de futura ſucceſſione ſine conſenſu ejus, cui ſuccedendum, valeat, etſi contra bonos mores ſit, & votum captandæ mortis contineat. Reſpondetur autem, quod hoc in caſu ſuper re ipſius domini concedentis contrahatur, nulloque modo is primo vaſallo ad non infeudandum ſecundum obligetur, quando Feudum, tanquam caducum, in ipſius poteſtatem redierit. Ceterum regula de interdictis pactis ſucceſſoriis adeo procedit, ut nullum recipiat temperamentum, ſive hæc pacta ſimplicia ſint, ſive juramento vallata, cum juramentum, tanquam acceſſorium, naturam actus principalis, cui adjicitur, induat ſemper, & ſequatur. (i) Ipſi quoque canones, juramenta ſancte ſervari præcipientes, illud jusjurandum, quod contra bonos mores (k) præſtitum eſt, irritum declarant. Neque ſecus dicendum eſt, ſi vel maxime non de tota he-

reditate, ſed tantum de ejus parte, pactum fuerit initum, quicquid etiam in contrarium profe-rat Baldvs, (l) fundamentum ſuæ ſententiæ in eo reponens, quod pactum de parte bonorum liberam teſtandi facultatem non auferat, cum paciſcenti de reliquis bonis teſtari integrum ſit. (m)

(h) *I. F. 9. & II. F. 26. §. 2.*

(i) Gail. II. Observ. 69. n. 5. Hering. *de Fidejuſſor. C. XXVII. P. 1. n. 42.*

(k) *C. 58. de Reg. Jur. in 6to.*

(l) *ad l. ult. C. de Pactis*

(m) Fachin. *L. V. Controv. C. 84.*

§. IV.

Verum enim vero ſupra dictæ rationes nihil impediverunt, quo minus Germanorum, imo, ut quidam (n) volunt, omnium Gentium moribus, ac jure hodierno, conſtitutum ſit, ut pacta ſucceſſoria obligationem & actionem producant. Quid quod iſtæ Romano-rum

rum rationes univerſaliter veræ non ſunt, quia votum captandæ mortis ejusmodi pactis ex accidenti ſolum ineſt, iisque ineſſe haud præſumendum. Atque illud ne quidem apud Romanos idoneam prohibitionis rationem præſtitiſſe, ideo videtur affirmandum, quoniam alioqui ſequeretur, omnes ultimas conteſtationes ob hujusmodi ſuſpicionem prorſus eliminandas fuiſſe. (o)

(n) Francisc. Hotoman. *Conſil. LXXII. n. 35.* Heigius *L. 1. Qu. Jur. 23. n. 13. ſeq.*

(o) Schilter. *Exerc. ad D. VIII. §. 38.* Limnaevs *in Jur. Publ. L. IV. C. 8. n. 156.*

§. V.

Ex his omnibus autem intelligitur, non ſine difficultate hoc Juris Germanici argumentum explicari, atque inter tot contrarias Doctorum ſententias juſtiorem & æquiorem comprobari, poſſe. Operæ igitur pretium eſſe confido, ſi, præmiſſa pactitiæ ſucceſſionis definitione,

ne,

ne, pariter ac differentia inter pacta confraternitatis & confœderationis, quibusnam perſonis facultas tales ineundi pactiones conceſſa ſit, deinde, circa quæ bona hæc pacta verſentur, porro, num neceſſe ſit, ut ſemper domini directi conſenſus & confirmatio accedat, inter alia quoque, an ſalvo Jure Feudali, & præſertim Publico, pacta iſta de Feudis Imperii iniri poſſint, paucis demonſtrandum ſuſcipiam. Multæ tamen cauſæ ſunt, cur omnia & ſingula pactorum genera, in quibus futuræ ſucceſſionis negotium occupatur, percenſere nequeam. Quare conſtitui, de iis potiſſimum pactis agere, quæ de acquirenda ſucceſſione contrahuntur, & inter perſonas illuſtres condita, *Confraternitatis* nomine innotuerunt. Quis vero dubitat, quin hodie (p) etiam pacta de conſervanda, vel reſtituenda, vel omittenda, hereditate valida ſint? Quem latet, pacta dotalia, Ganerbinatus, atque uniones prolium, ſucceſſionis, ab uno in alterum devolvendæ, effectum habere certiſſimum?

(p) Stryk. *in tr. de ſucceſſ. ab inteſtat. Diſſ. VIII.*

Horn.

Horn. *in Juriſpr. Feud. Cap. XVI.* §. *17.*
A rigore Juris Romani receſſiſſe Fac. Jur. Vit. teſtatur Magnif. Dn. Wernher. *P. I. Obſ. 160.*

§. VI.

Eſt autem anomala, ſive conventionalis, ſucceſſio in Feudis exorbitans ſuccedendi modus per ſpeciale pactum, a duabus, pluribusve, familiis circa bona feudalia, conſentiente Domino, ea mente initum, ut, extincta una familia, altera ſuperſtes vel ex aſſe, vel ex parte, bona iſta conſequatur. Cum vero *l. F.* 8. *princ.* dicitur: Nullam manere, vel valere, debere defuncti de Feudo ordinationem; tum præſtruitur caſus ille, quo jus eorum, quibus ſucceſſio debetur, infirmatur. Hoc igitur ceſſante, vaſallum cum domini conſenſu de Feudo diſponere poſſe, vel ex eo colligitur, quod certis in caſibus de Feudis etiam teſtari (q) liceat. Neque argumentum iſtud, quod de uſufructu, per mortem uſufructuarii expirante, depromitur, huc quadrat, ſed, tanquam ex Ju-

ris Civilis lacunis petitum, merito hac in cauſa repudiandum eſt. Prætereo libenter ea, quæ generatim de prohibita Feudorum alienatione ex Conſtitutionibus Lotharii & Friderici (r) afferuntur; His enim in legibus alius plane caſus, ſi nempe dominus in alienationem non conſentiat, ventilatur. (s)

(q) Horn. *in diſſ. de Teſtam. Patris Circa Feudum diſpoſitione.*

(r) II. F. 52. & 55.

(s) Hæc omnia fuſius pertractat Limnaevs *in Jur. Publ.* L. IV. C. 8. n. 130.

§. VII.

Miramur ſane, quod nonnulli Doctores pactitias ſucceſſiones numero ultimarum voluntatum inſerere vix dubitent, cum tamen pactiones, ab utraque parte conſtitutæ, altera invita, uti quidem in teſtamentis permiſſum eſt, revocari (t) & immutari nequeant. Quod autem pactum, ita conceptum, ut non ſolum conven-

ventionis, ſed & ordinationis, jure vigere debeat, firmum ac ſtabile ſit, (u) facile largimur.

(t) Reinking. de R. S. & E. Claſſ. IV. c. 18.

(u) Mvscvl. de Succeſſ. Convent. M. I. Claſſ. I. Concl. I.

§. VIII.

His ita perſpectis, expediret quidem, diſtinctiones inter hæc & alia pacta ſucceſſoria oſtendere, brevitatis tamen ſtudio ſolum differentiam inter pactum *confraternitatis* & pactum *confœderationis* declarabo. Præcipuæ vero diverſitates hæ ſunt, quod prius mutuæ ſucceſſionis, poſterius autem mutuæ defenſionis, finem intendat, quodque prius ab Imperatore confirmandum ſit, quia ſpem conſolidationis imminuit, poſterius autem, quod in perniciem Imperatoris & Imperii vergere non debet, hac confirmatione non indigeat. Vt taceam, quod hæc ipſa pacta in Capitulatione Carolina, (x) quæ

quæ utrumque confirmat, accurate a ſe invicem diſtingvantur. Obiter etiam de notiſſimo illo confœderationis & confraternitatis pacto, quod inter sereniſſimam Domum Saxonicam, Brandenbvrgicam, & Hassiacam initum eſt, notare licet, quod, inſtituta Numburgi Ao. 1614. renovatione, unum quodque diverſo tempore, alterum ſcilicet die 31. Martii, alterum vero die 1. menſis Aprilis memorati anni, reſtauratum fuerit. (y)

(x) *Artic. I.* Die vor dieſem unter ihnen ꝛc.

(y) Vid. Carpzov. *de Pacto Confraternitatis Sax. Haſſ. Cap. I. Th. 10.*
Nitsch. *ad Art. VI. Cap.* Josephin.

§. IX.

Progredior ad perſonas, quæ poteſtate hæc pacta ineundi gaudent. De Electoribus, Principibus, & reliquis Imperii noſtri Statibus, res expediti Juris eſt, atque ipſæ Capitulationes Cæſareæ (z) eam immediatis Imperii nobilibus

libus, quamvis iſti haud quaquam inter Status proprie, ſive perfecte, ita dictos referri (aa) queant, integram eſſe, haud obſcure indicant. Qualem de hujus modi pactorum validitate quæſtionem Anno M DCC IX. in Comitiis Ratisbonenſibus in cauſa *Salm* contra *Sayn Hachenburg* agitatam fuiſſe, recenſet Faber. (bb)

(z) *Vid. Capit. Noviſſ.* Imp. Carol. VI. Art. I. & XI.

(aa) v. Rec. Imp. de Anno 1564. §. 29. ibi: So nicht Stände des H. Reichs/ iedoch dem H. Reich ohne Mittel unterworffen.

(bb) *Staats-Canzley.* Tom. XV. C. VI. p. 486.

§. X.

Alia ſane quæſtio eſt, an mediati Imperii nobiles, aliique privati, pacta ſucceſſoria de Feudis ſuis inire poſſint. Carpzovius (cc) & Brunnemannus (dd) negantem amplectuntur ſententiam. Hi tamen non faciunt, quin de ajente, eaque rectiore, moveamur ſen-

 ten-

ntia, cum præſertim varia in Saxonia (ee) & ibi paſſim obvenientia exempla, ubi, Domino conſentiente, Vaſalli ſe invicem in ſimultaneam recipiunt inveſtituram, illis obſtent, & hanc noſtram ſententiam corroborent.

(cc) *Lib. V. Reſp. V. n. 26.* & *Juriſpr. For. P. II. C. 35. d. 20. n. 9.*

(dd) *In Comment. ad L. 19.* C. de Pact. n. 11.

(ee) Horn *in Juriſpr. Feud. C. XII. §. 28.*

§. XI.

Neque ex ſingulari privilegio (ff) dicta de futura ſucceſſione conveniendi facultas S. R. Imperii ſubditis accurate adſcribitur. Quod enim hæ perſonæ jure ſuo tali fruantur poteſtate, & hoc ipſum jus, ſive originem, ſive effectum, conſideres, omnino commune & ex patriis moribus ac longævo Germanorum uſu conflatum ſit, ideoque ad certum perſonarum ordinem inepte admodum reſtringatur, jam (gg) dudum ſatis evictum eſt. Atque hæc pacta

cta etiam apud Gallos & Italos nobiles florere, teſtatur Godofredvs. (hh)

(ff) Quale ipſis tribuunt Stravch. *Diſſ. Acad. III.* §. 7. & Rhetivs *ad I. F.* 8. §. 4. n. 22.

(gg) Strykivs *in Vſ. Mod. D. tit. de Pact.* §. 20. Hornivs *in Juriſpr. Feudal. C. XVI.* §. 22.

(hh) in Not. ad l. 19. C. de Pactis n. 7.

§. XII.

Abſolutis iis, quæ pro inſtituti ratione de perſonis, ſuper futura ſucceſſione paciſcentibus, in medium proferenda erant, aggredimur jam ad res, ſeu bona, quæ huic pactitiæ ſucceſſionis diſpoſitioni obnoxia ſunt. De his generatim hanc notamus regulam: Omne utique Feudum, ſive illud in re corporali, eaque mobili, vel immobili, ſive in re incorporali, conſiſtat; per pacta ſucceſſoria aliam in familiam transferri poſſe. Licet enim ſatis edocti ſimus, quod ſecundum Juris Longobardici te-

norem (ii) Feudum præterquam in rebus ſoli, aut ſolo cohærentibus, aut in illis, quæ juris intellectu immobilibus accenſentur, conſtitui nequeat, ipſe tamen textus de Feudo proprio duntaxat accipiendus eſt, non de improprio, quippe quod etiam res mobiles (kk) & incorporales pro objecto non reſpuit. Quapropter, ſicuti jurisdictio cum caſtro, & jus Territoriale cum Ducatu, Principatu, & Comitatu conjunctim inter Feudi annexa ad poſſeſſorem tranſeunt, ita etiam ſeorſim jus Decimandi, jus Venandi, Jus patronatus &c. quod quis absque corporali re Feudi nomine tenet, juſte in alium devolvuntur.

(ii) II. F. 1. verſ. Sciendum eſt.

(kk) Ad id, ut allodialis pecuniæ natura in Feudalem transmutetur, inveſtituræ literis ſubſequentia inſeri ſolent verba : Daß der Lehnherr dem Gelde die Art und Eigenſchafft des Erbes genommen/ und es zu Lehn gemacht. Item, daß ſolches Geld von Fällen zu Fällen hinfürder zu Lehn ſolle empfangen und genommen werden. Vid. Formul. apud Volckm. Emen-

Digitized by Google

Emendat. P. I. C. 31. n. 5. 6. Dan. Moller. ad Conſt. El. Sax. P. III. C. 30. n. 6.

§. XIII.

Non autem ſolum de futura ſucceſſione in res ſingulas, ſed etiam in bona univerſa (ll), mobilia & immobilia, præſentia & futura, cum (mm) & ſine reſervatione cujusdam ſummæ, de qua teſtari & in caſum mortis diſponere liceat, convenire & paciſci permiſſumeſt. Et valent ejusmodi pacta, ſive reciproca, ſive unilateralis, (nn) ſive æqualis, ſive inæqualis, ſucceſſio paciſcentibus placuerit. Exemplum poſterioris in pacto, inter Duces Saxoniae & Comites Hennebergicos inito, animadvertitur, utpote quod eam comprehendebat conditionem, ut, deficiente Saxonica ſtirpe, Comites Hennebergici tantum in diſtrictu Coburgenſi, intermortua vero Hennebergica familia, Duces Saxoniæ in univerſo Comitatu Hennebergico ſuccederent. Atque ita Comitatus iſte cum omnibus pertinentiis ex hoc confraterni-

 tatis

tatis pacto ad Electoralem & Principalem Saxoniæ domum devolutus, & ab ea usque ad Annum 1650. conjunctim poſſeſſus, poſtea vero diviſus (oo) eſt:

(ll) Hoc ex tenore pacti ſucceſſorii, quod inter Sereniſſimos Principes Saxonem, Brandenbvrgicvm, & Hassvm intercedit, & a Limnaeo in Jur. Publ. L. IV. C. VIII. n. 172. exhibetur, clarius demonſtrari poteſt.

(mm) Quemadmodum in confraternitate Ducum Saxoniæ & Landgraviorum Haſſiæ proviſum eſt, ut ultimus, ex una vel altera harum familiarum decedens, de bonis mobilibus usque ad ſummam 30000. aureorum, in cujuscunque favorem voluerit, teſtari queat. Limn. J. P. L. IV. C. VIII. n. 161. Carpz. L. V. T. 1. Reſp. V. n. 17.

(nn) Quale pactum unilaterale olim inter Marchiones Brandenburgicos & Pomeraniæ Duces ante, quam Ao. 1571. reciprocum, vel bilaterale, factum, celebratum fuit. Vid. Schweder. *Introduct. in Jus Publ. Part. Spec. Sect.* II. C. X. §. 10.

(oo)

(oo) Vid. Perilluſtr. Autor des Europäiſchen Herolds pag. m. 150.

§. XIV.

Sed quid de dignitate, Feudo interdum cohærente, ſtatuendum? Nonne & ea ſimul conceſſa cenſebitur, ſi de univerſo Feudo pactum ſucceſſionis conditum fuerit? Certum ſane eſt, dari poſſeſſores Comitatuum, qui tamen Comites non ſunt. Cum igitur Feudum regale per ſe non conferat dignitatem, hinc nec in dubio ejusmodi dignitas, ſi pactione territorium in alium tranſit, ſimul translata cenſetur. Aliter quidem res ſe habet in Feudis regalibus eccleſiaſticis, quippe quæ dignitatem perſonalem indubitate habent conjunctam. Id quod etiam in Feudis ſecularibus vexilliferis, comprobante Jure Saxonico, (pp) verum eſt. Et cum præcipuus diviſionis Feudorum, in regalia & non regalia, uſus in eo conſiſtat, quod illa ſint individua, (qq) hæc non item, hinc non inepte aſſeritur, dignitatem, Feudo regali

li annexam, mediante hac pactione, ſimul transferri, etiamſi de illa inter partes contrahentes diſerte nihil actum ſit, dummodo, hoc in caſu, conſenſus ejus, qui dignitatem conferre poteſt, acceſſerit. Hæc Juris Feudalis de individuitate diſpoſitio in Aurea Bulla (rr) ratione Electoratuum (ss) repetita legitur.

(pp) Sächſ. Lehn-R. Cap. XXI. in fin. verb. Denn es erhöhet nichts des Manns Schild / noch ſeinen Adel / denn allein Fahnen-Lehn / ob ihm des gelichen wird.

(qq) II. F. 55. §. 1.

(rr) Cap. XX.

(ss) Vt adeo non dubitem, quin dignitas Electoralis in pactionem Confraternitatis Saxo-Brandenburgica-Haſſiacæ ſimul deducta ſit, eamque ex hac conventione Sereniſſima domus Haſſiaca, caſu præſcripto eveniente, ſibi recte vindicet. Diſſ. Limn. in J. P. L. IV. C. VIII. n. 166.

Digitized by Google

§. XV.

Ex præmiſſis haud difficulter perſpicere licet, quibus de bonis, quoad futuram ſucceſſionem, pactiones fieri poſſint. Nunc de formali earum ratione, quæ in ipſorum contrahentium conſenſu ſe exerit, differendum eſſet, eam tamen, tanquam cum aliis pactis communem, ſponte prætermitto, in ordine, quatenus confirmatio & conſenſus domini directi, vel ſuperioris, præſertim Imperatoris in Feudis Imperii, ad eſſentiam horum pactorum requiratur, expoſiturus. Sunt autem, qui hanc ipſam confirmationem haud neceſſariam (tt) eſſe, opinantur, & absque illa pactis noſtris plenum robur tribuunt. Dantur contra alii, qui eam modo pro eſſentiali (uu) venditant, modo plane inter ea, quæ ex accidenti adhiberi conſveverunt, referunt. Nobis vero illa placet ſententia, qua conſenſum ipſius Imperatoris, vel ſuperioris, non ad confraternitates, qua tales, ſed quatenus de rebus mere feudalibus (xx) conſtituuntur, neceſſarium eſſe, propugnant, id-

D que

Digitized by Google

que ipſa Juris Feudalis ratio, accedente communi Interpretum conſenſu, confirmat.

(tt) Klock. T. 3. Conſ. 150. n. 35.
Wesenb. Conſ. 41. n. 161.
Hartm. Pistor. L. IV. Qu. I. n. 24.

(uu) Gail. L. II. Obſ. 127. n. 6.

(xx) Ergo confirmatione quadam opus haud eſt, ſi de bonis allodialibus pacta ſucceſſoria ineantur, prout accipi videntur verba Capit. Carolinæ Artic. XI. ibi: Dieſelben über die Edition der alten pactorum familiæ nicht beſchwehren. Conf. D. *Burc. Gotth.* Struvii diſſ. de Allodiis Imperii, hab. Jen. 1710.

§. XVI.

Merito tamen iſtæ excipiuntur ditiones, quæ pro lubitu alienari queunt. Huc refertur Marchionatus Brandenburgicus, ex privilegio Auſtriaci Imperatoris Friderici (zz) Ao. 1476. conceſſo, atque Ducatus Lotharingicus & Mantuanus. (aaa) Non ignotum ceteroquin eſt,

eſt, quod potentiſſima domus Auſtriaca, inter alia quam plurima privilegia, illud de regionibus ſuis ſine præſcitu & conſenſu Imperatoris & Imperii tam inter vivos, quam mortis cauſa, alienandi, (bbb) adepta ſit, parique de Feudis inter vivos (ccc) diſponendi poteſtate utriusque Luſatiæ Vaſalli ex conceſſione Imperatorum Ferdinandi (ddd) & Maximiliani polleant.

(zz) Vid. GIOVAN. in Germ. Princ. L. II. C. 4. §. 18.

(aaa) V. Leop. Alb. SCHOPPIUS in Theſ. Feudal. C. I. S. 3. p. 88.

(bbb) Hæc privilegia collecta invenis apud laudat. GIOVAN. in Germ. Pr. L. I. C. 4. & LIMN. in J. P. L. V. C. 2. n. 31. Inter quæ eſt: der Hertzog hat freye Macht/ſein Land zu vergeben/ und zu verſchaffen/ wem er will/ ſo er ohne Erb-Kinder abgienge/ und ſoll daran durch das Reich nicht verhindert werden. Conf. etiam Perilluſtr. Autor des Europ. Herolds p. m. 198.

(ccc) Tali ratione reſtrictum eſt privilegium Ferdinandinum per Ordinat. Feudalem, Anno 1651. a Divo Electore Joh. Georgio I. conditam.

(ddd) Conf. Magnif. Dn. Præſid. diſſ. de Privilegio Ferdinandino ad mediatos utriusque Luſatiæ Vaſallos non extendendo.

§. XVII.

Quod ſi vero Dominus in Vaſalli Ordinationem, de Feudo factam, rite conſenſit, illa ex poſt facto impugnari nequit. Quin enim dominus in ſui præjudicium (eee) jure ſuo ſe abdicare poſſit, nemo facile in dubium vocabit. Idque certiſſimi juris eſt, quandoquidem quæſtio incidit de pactis Statuum Imperii, quæ jam olim ab Imperatoribus eo tempore, quo ipſi plenario jure aperta Imperio Feuda cuivis concedendi utebantur, fruebantur, confirmata ſunt.

(eee) l. 29. C. de Pactis.
VULTEJ. de Feud. L. I. C. IX. n. 83.

§. XIIX.

Quod autem hodie Imperator in Feudis Imperii majoribus, quæ aperta fiunt, iterum con-

conferendis, Statuum, & inprimis Collegii Electoralis, conſenſum adhibere debeat, illud nondum efficit, ut idem etiam conſenſus ad formam pactorum ſucceſſoriorum requiratur, quamvis plurimi, aliam in partem abeuntes, deprehendantur. Si ab iis rationem diſſentiendi quæras, alia vix affertur, quam quod Imperatorum poteſtas, teſtantibus Capitulationibus, ita reſtricta ſit, ut ne quidem Expectativam de Feudis Imperii, inſciis Statibus, concedere valeant. Sed, quantum expectativæ conceſſio a pactorum ſucceſſoriorum confirmatione diſtat? Sane in confeſſo eſt, utriusque fundamentum longe diverſum eſſe. Confirmatio enim paciſcentium voluntatem ſemper ſupponit, ſicque illa acceſſionis vicem ſubit. Id quod in expectativa ſecus eſt, ubi vaſalli poſſeſſoris conſenſus non deſideratur. (fff) Deinde jus reale, (ggg) quod pactionibus per confirmationem conſtituitur, conceſſioni expectativariæ minus adſcribendum eſt, quippe quæ in terminis conventionis ſubſiſtit, & ad præparatoria acquiſitionis ſolum petinet. Tum, Feudo extraordinarie, e. g. refutatione, ad dominum

reverſo, is expectativario (hhh) ad Feudum tradendum non obligatur, cum e contrario omne illud, quod in præjudicium pacti ſucceſſorii admiſſum eſt, pro non acto plane haberi debeat. Denique expectativarius Feudi aperti poſſeſſionem propria autoritate apprehendere nequit, niſi hæc licentia (iii) ipſi ſpeciatim a domino data fuerit; id quod autem per pactum ſucceſſionis permiſſum videtur.

(fff) II. F. 26. §. 2.

(ggg) Jus, ipſam rem afficiens, his pactis tribuitur a Klock. T. III. Conſ. 150. n. 13.
Bets. *d. Pact. Illuſtr.* C. IV. p. 60.
Gvttich. in diſſ. d. Confrat. th. 8. lit. d.

(hhh) Huc ſpectat textus Jur. Feud. Sax. Cap. V. Läßet auch/ der das Gut in Gewehr hat/ es ſeinem Herrn auf/ das Geding iſt daran gebrochen.

(iii) Illuſtre hujus rei exemplum præbet Ducatus Magdeburgicus, utpote cujus vacuæ poſt mortem ultimi Adminiſtratoris, divi Auguſti, poſſeſſionis

onis

onis, propria autoritate apprehendendæ, licentia Sereniſſimo Electori Brandenburgico in Inſtr. Pac. Weſtphal. Art. XI. §. 6. diſertis verbis indulta fuit.

§. XIX.

Neque ſilentio prætereundum eſt, quod Imperatori omnia illa Jura, quæ per Capitulationem cum Electoribus, Principibus, ac reliquis Imperii Statibus, non communicata ſunt, reſervata cenſeantur, ſiquidem ipſæ Capitulationes ſolum Imperatoris poteſtatem reſtringunt, non vera Statuum Imperii Jura; hæc autem omnino periclitarentur, ſi pacta ipſorum ſucceſſoria ob deficientem reliquorum conſenſum infringi deberent. Cui accedit, quod, licet nihil vetet, quo minus Status Imperii commodis ſuis ac quibusdam Juribus, communem Imperii utilitatem particulari anteferentes, renunciare poſſint, de illa tamen renunciatione expreſſe conſtare debeat. Tutius interim & conſultius ab iis, qui Imperio immediate ſubſunt, agitur, ſi pactis de futura in Feudis,

dis, præſertim majoris momenti, ſucceſſione non modo Imperatoris (kkk) confirmationem, ſed & reliquorum Statuum, maxime Electorum, (lll) conſenſum & approbationem ſibi concilient. Hac enim ratione omnia illa, quæ litis materiem & cauſam præbere poſſunt, e medio tolluntur.

(kkk) Conf. Eyben. *in Elect. Feud.* Cap. VIII. th. 8.

(lll) Hanc Electorum conſenſionem in ſæpius laudata confraternitate, Numburgi Ao. 1614. renovata, adhiberi, Sereniſſimi compaciſcentes ſibi invicem ſtipulati ſunt, referente Carpz. Diſp. Feud. VII. n. 4.

§. XX.

Rebus autem ſic ſtantibus, horum pactorum valor in vado erit conſtitutus. Non negamus tamen, admodum utile eſſe, ſi ſtatis temporibus ejusmodi pactiones reiterentur, (mmm) earumque renovatio, obſervatis certis

tis

tis ſolennibus, (nnn) inſtituatur. Quorſum etiam facit, quod ab eo, qui compaciſcentibus dignitate antecellit, Conventus (ooo) reliquis membris merito indicatur, cui ut ipſæ partes, quarum intereſt, in perſona ſe ſiſtant, mox neceſſitas exigere, mox utilitas ſvadere, videtur. Conſenſus etiam ſubditorum, ne hi inviti alienæ poteſtati ſubjiciantur, pro diverſitate provinciarum modo neceſſario, modo utiliter, adhibetur. (ppp) Solet demum communiter juramentum, (qqq) majoris obligationis cauſa, adjici, quippe cui promiſſio, ſub fide principali, vel nobili, (rrr) item in vim juris jurandi, (sss) facta, non omnino æquipollet.

(mmm) Reſtaurationem ſæpius allegati pacti ſucceſſorii SAXO-BRANDENB. HASSIACI a Divis Sax. Electoribus promiſſam, & a Statibus Provincialibus congregatis acceptatam fuiſſe, docent Land-Tags Acta de Ao. 1664. & 1681.

(nnn) Solennitatum, quæ in renovationis actu Numburgi 1614. obvenerunt, catalogum recenſet COCCEJUS Vol. II. Diſſ. 37. §. 35.

(ooo) Quod ad laudatum confraternitatis pactum, inter Sereniſſ. Domvm. Sax. Brandenbvrg. & Hassiacam initum, attinet, directorium in actu renovationis Ao. 1614. Sereniſſ. Electori Saxoni relictum fuit.

(ppp) Idque obſervatum fuiſſe in dicta Confraternitate Sax. colligitur ex verbis: Mit gutem Vor-Rath unſrer Räthe, Manne und der unſern. Vid. Limn. l. c. n. 172. & Bets. d. pact. fam. C. V. p. 125.

(qqq) Juramenti, a Confratribus Sax. Brandenb. & Haſſ. præſtiti, formulam vid. apud Reinking, de R. S. & E. L. I. Claſſ. IV. C. 12. n. 25.

(rrr) Cujus alioqui haud tenuem eſſe vim, eamque etiam in Camera Imperiali obſervari, tradit, & præjudiciis confirmat Gail. L. II. Obſ. 59. n. 7. Carpz. P. II. C. 16. d. 5. n. 2. Contrar. tamen ſtatuunt Koeppen Conſult. Sax. P. I. d. Contr. Qu. 31. in f. & Quæſt. Dec. 56. Frantzk. ad D. tit. de Jurejur.

(sss) Clauſulam an Eydes ſtatt, efficaciam veri & corporalis juramenti, quoad vinculum, & contractum, habere vult Coler. de Proc. Executivo P. I. C. 10. n. 246. Mynsing. Obſ. XVII. Cent.

Cent. I. qui & pœnam perjurii in caſum contraventionis eidem aſſerit.

§. XXI.

Poſtquam igitur pacta omnibus numeris abſoluta ſunt, caſu eveniente, ſecundum illa defertur Succeſſio, prout vel de omnibus bonis, vel de parte illorum, contrahere placuit. Atque hoc ex illo Jure reali, quod ſucceſſor in bonis defuncti habet, & per fictam conſequitur traditionem, (ttt) fluere videtur, cujus effectus in eventum futuræ mortis ſuſpenditur. Ex quo etiam ortum traxit, quod ab unius confratris & ſocii conventionalis ſubditis alteri homagium (uuu) ante, quam dies venerit, præſtari ſoleat. Adeo valida quoque eſt hæc obligatio, ut non ſoli paciſcentes, ſed etiam heredes ipſorum, quoſcunque proſapia viderit, hujus diſpoſitionis pactitiæ ſint participes, licet ipſorum mentio facta haud fuerit, ita, ut, invitis & inſciis reliquis, nulla ordinatio, (xxx) vel alienatio, vel illud, per quod ad alienationem deveniri pot-

 eſt,

eſt, in fraudem pactorum admittatur. Sique contra hæc pacta unus ex paciſcentibus, ejusve heres, bona, illis pactionibus ſubjecta & affecta, alienare tentaverit, tunc mandata inhibitoria de non alienando obtineri poſſunt. Alienatione autem de facto ſubſecuta, ea eſt ipſo Jure nulla, invalida, & inefficax, ideoque dominium non transfertur, neque illa nocet confratribus, eorumque heredibus, qui non tenentur eam ſervare, vel præſtare, ſed ipſis jus revocandi, a poſſeſſoribus, hujusmodi pactis ſubjecta bona, ut & exceptio nullitatis contra agentes, ſi ipſi confratres poſſideant, competit. Sin etiam, majoris cautionis ergo, pacto promiſſio de non alienando, & huic clauſula, quod, ſi promiſſor contra fidem alienaverit, ea alienatio ſit nulla & invalida, habeaturque pro infecta, fuerit inſerta, tale pactum reſolutivum habere vim pacti Legis Commiſſoriæ, ex quo ipſo jure transfertur dominium, ajunt. (yyy)

(ttt) Hæc ficta traditio in pacto ſuccesſionis Sax. Brandenbvrg. Hass. his verbis exprimi-

mitur: Thun auch gemeldte Auf- und Ubergabe gegen einander gegenwärtiglich.

(uuu) Vid. Formul. der Erbhuldigung in dem Churfürſtenthum Sachſen ap. STRYK. in App. ad Jus Feud. n. X. p. m. 500.

(xxx) Hoc ex fundamento Principis *Oettingenſis* diſpoſitio teſtamentaria, in qua Linea *Oettingen-Wallerſtein* in tribus partibus, & Linea *Oettingen-Baldern* in reſiduo heres ſcripta, Linea autem *Wallerſtein-Spielberg* adverſus pacta conventa plane excluſa fuit, coram Judicio Imperii Aulico brevi abhinc intervallo impugnata eſt, ut *literæ publicæ* commemorarunt.

(yyy) BESOLD. Conſ. XLIX. n. 95.

§. XXII.

Supereſt, ut, quonam in Judicio controverſiæ de bonis feudalibus, ex pacto ſucceſſorio transferendis, tractari ac decidi debeant, diſpiciamus. Sicuti igitur ejusmodi controverſiæ

 pro-

procul dubio ad cauſas feudales pertinent, ita, ſi convaſalli inter ſe invicem de hac re litigant, Dominus directus (zzz) competentis judicis (aaaa) officio fungitur. Sin autem cum ipſo Domino directo agendum eſt, hic vel judicem habet competentem, vel non habet. Priori caſu ad ordinarium Domini directi judicem recurrere oportet. Poſteriori vero caſu Dominus communiter certum quoddam forum in provinciis ſuis conſtituit, aut eligit, in quo cauſæ ejus (bbbb) diſceptari ſolent. Neque hodie in modo procedendi diverſum quid a Jure Communi (cccc) obtinere, exploratum habemus.

(zzz) I. F. 18. II. F. 34. pr. II. F. 55. §. 2.

(aaaa) Camera Imperii in cauſa Feudi Regalis, i. e. Ducatus, Principatus, Comitatus, &c. ſive illud in totum, ſive tantum ex parte, abjudicandum ſit, judicem agere nequit, ſed ipſe Imperator in ejusmodi cauſa deciſionis arbiter eſt, ſibique reſervavit jurisdictionem Ord. Cam. P. II. T. VII. quamvis Camera, quod ad Feuda non Regalia attinet, concurrentem cum Imperatore, vel Senatu Imp. Aul. jurisdictionem exerceat,

Digitized by Google

ceat, ac præventioni locus ſit. Conf. GAILIVS L. I. Obſ. 29.

(bbbb) De jure antiquo vid. II. F. 16. 34. & 39. it. VOLCKM. EMEND. P. I. Cap. 87.

(cccc) CONST. ELECT. SAX. 27. P. I. ibique CARPZOV. Def. 2. B. Dn. HORN. in Juriſpr. Feud. Cap. 25. th. 16. ſqq. ibique cit. DD.

§. XXIII.

Habes jam nunc, L. B. quæ de eo, quod juſtum eſt circa pactitiam in Feudis, præſertim Imperii, ſucceſſionem, publico Eruditorum examini ſubmittere volui. Lubens fateor, multa, imo pleraque, plenius ſcribi & accuratius expendi potuiſſe, ac debuiſſe. Verum, ob innumeras fere cauſas, longior & prolixior eſſe nolui. Neque animus fuit, nova meditari, ſed ea, quæ hoc in argumento uſus hucdum comprobavit, quaſi in compendium redigere, tentavi. Quicquid ergo mi-

minus dextre prolatum eſt, id humanitas & religio Lectoris, cui me, meaque omnia, quam obſervantiſſime commendo, benigne excuſabit. Quod reliquum eſt, quibus verbis Deo optimo maximo, pro felici ſtudiorum meorum ſucceſſu, gratias agam, non reperio.

S. D. G.